

MANCRUM  
ATIONES

medicæ

es.

nam







30

Pordeg.

I. N. 7.  
DISSERTATIONEM POLITICAM  
De  
**P A C E**

Annunte Numine  
*Suffragantibusque Superioribus,*

Sub Moderamine

*PRÆCLARISSIMI VIRI*

**DN. M. SIMONIS FRIDERICI  
FRENZELII,**

Cotbusiensis Lusat, Fautoris sui plurimum  
venerandi,

*Publico Eruditorum examini offerre*

**RESPONDENS**

**CHRISTIANUS RÖHRENSEE**

Ehrenbergensis Misnicus,

Autor.

Habeb. ad diem 12. Octobris

Horis Locoque solitis.

---

*WITTEBERGÆ,*

**Typis Johannis Haken, M. DC. LXL**

102

Mony



DISSELTATIONEM POLITICAM

PACE



DM. SIMONIS FRIDERICI

CHRETIANUS

Corbaniensis

RESPONDENS

CHRISTIANUS KÖHNENSEE

Hab. ad diem 12. Octobris

Typis Johannis Hagen. M. DC. LXXI





JOVA JUVA!

# DISQUISITIO POLITICA DE PACE.

CAP. I.

De Naturâ & essentiâ Pacis.

§. 1.

**D**uo cum primis tempora in Rep. sunt, in quibus supremæ Majestati omnis intendenda consilii vis, ut moderetur rectè habenas Imperii, nec negligentiam suam publicum bonum aliquid capere detrimenti patiatur. *Sagatum* alterum est ac horridum, sed expeditius paulò est moderamen ejus, si modò præsentis animo sit, qui ejus curam habet. Alterum *rogatum* est ac mite, sed salebrosius priori: quapropter summam etiam ac infinitam penè dixerim opus Prudentiam est, si auream ubivis tenere mediocritatem volumus. Et sicut observato probè utroque hoc tempore, ad summam evehere Remp. potentiam potest Magistratus: sic è contrario ipsius socordiam quam celerrimè evertitur.

§. 2. Ut a. versetur feliciter in statibus hisce summa Potestas, necessum erit, ut in auctoritate cõparandâ sibi ac benevolentiam Majestas prudentiam consumat. Quo factò, si gerendum bellum est, habebit quo terreat hostes, ac in officio suo Cives contineat: quos obstrictos porrò habebit aded, ut illis vel ipsa non fuerit injucunda mors, sicubi forsitan in publico decedendum negotio est. Ecquid ergò certare armis cum quoquam verebitur Rex, ubi & moribus suis & prudenter formato regimine, talia consecutus fuerit? Non ipsi gerendarum rerum nervus pecunia deerit, amicosq; fortuna ei haud difficulter inveniet.

A 2

Sic,



Sic, ubi in Pace vivitur, Subditorum amor à domesticis Imperantem incommodis facile levabit. Non itaque suorum insidias timebit Magistratus, aut fidem eorum desiderabit, securitatemve firmam desperabit, si populum præsertim liberalitate quandoque aut indulgentiâ sibi devinciat.

§. 3 Hinc florentissima in brevi evadit Respubl. si tam in pacato, quam militari statu curatur probè. Hinc amica animorum conspiratio; hinc lætus rectorum satorumque vigor; hinc publici incrementa ararii; hinc rerum omnium affluens & copiosa ubertas. Quæ omnia, ut sedent altius in mortaliū animis, in ipsam *Pacis* naturam penetrandum aliquantò interius est, quantaque ab ea expectanda Civibus commoda sint, supremi adjutu Numinis, dispiciendum.

§ : 4. Primò igitur offert sese *Definitio Pacis*, quæ partim ὀνοματωδὴς, partim ὡμογενηματοδὴς. ὀνοματωδὴς s. *Nominalis Definitio* sistit nobis *Pacis* 1. *Paronymiâ* 2. *Homonymiâ* & 3. *Synonymiâ*. Quoad *Paronymiam* notandum, *Pacis* vocabulum à Græco πᾶσι descendere, quâ voce utebantur Veteres, cum sibi silentium, adposito ad os digito, imponebant; quæ vox Romanâ deinde donata Civitate, *Pacis* sortita significationem est, quia in Pace tranquillum est silentium; in Bello v. nil nisi miserorum clamor & strepitus. Quæ vocabuli *Pacis* originatio Veritatem quam proximè attingit, à quâ nec illa abluere videtur, ubi *pax* aliis à *pacando* dicitur, cum *pax* omnia pacet & in pacatum sive tranquillum restituat statum, unde *pacem Cicero* tranquillam esse, libertatem dicit. 2. *Philip*. Quanquam *Scal. c. 25. de LL.* illud à verbo πᾶσι, *quiesco* deducere malit, eâ, puto, adductus ratione, quia *Pax* perpetuò adjunctam quietem habet.

§. 5. Nec defunt etiam, qui *Pacem* à *pactione* dictam volunt cum *Ulpiano*, cui, teste *Pomponio Festo*, suffragatur *Sinnius Capito*; quam tamen derivationem invertit *Isidorus*, à pace pactum derivans eò, quod *pax* simplex & primum nomen, ut *jus*, *Venus*, à queis *justum*, *Venustas*. Et illius utut sententiæ patroni, logicâ fortean deductionem respicient potius & res ipsas, quam verba, non tamen omnis *Pax* *pactione* absolvitur, sicuti paulò inferius evictum dabimus. Eâ gratiâ hanc  
pluri



plurimorum sententiam prioribus merito postponimus; quamvis non adeo curemus, quo demum ab Etymo Pax suam originem trahat, contenti, certam rem esse, licet nominis incerta origo sit.

§. 6. Vocatur aliàs Pax, quod ad *Synonymiam* spectat, Latinis, *tranquillitas, quies, status pacatus* &c: Græcis εἰρήνη, quæ vocem *Eustachio* Ἐὐστάθιος εἰς εἰρήνην, à connectendo in unum, sicuti πόλεμον ἔπειτα πολεῖν, quod omnia sursum deorsumque verset, dictam haud absurdè contendit. Scilicet conciliat mortalium animos Pax, conjungitque amicè, quos contra penitus distrahit bellū ac exacerbatur. Illud notandū præterea est, quod *Hebraei* nomine Pacis, quod ipsis *שלום* est, universa bona intelligant ac prospera: unde etiam obviam sibi facti, loco salutis, ad precari sibi invicem Pacem in more positum habuere. Germanis nobis dicitur Pax *Friede* / à *frey* / vel *Frende*, quum inde vulsi Pacis comites sint gaudium atque libertas.

§. 7. Ut autem pateat, in quâ significatione nobis h.l. Pax veniat, attendendum probè, nos in præfenti non considerare (1) *Pacem spiritualem & internam* maxime, quæ est conscientia cum DEO reconciliatio, nec (2) in eâ *acceptione*, quæ *indicia*, imprimis longiores illæ, quæ Treugas barbarè vocant, denotantur; nec (3) pro ipsâ *pacificatione*, aut *acta conventionis*, (4) neque adeo in *strictiori* & apud Politicos nonnullo receptiori significatione, quibus effectus belli salutaris, & immediatè ex conventionibus ut plurimum fluit, sed, [5] *termino magis ampliato* per vocem pacis in præfens *tranquillum & maximè pacatum Republicæ statum* indigitamus: cujus gratiâ *Paci* sequentem tribuimus *Definitionem*: *PAX est quietus consentiētū in Republicâ status, omni hostilis actionis publicæque armorum collisionis expertus.*

§. 8. *Realem hanc Pacis Definitionem* resolvimus in *Genus & Differentiam*. *Genus* facimus *Statum*: *Differentia* reliquis in *Definitione* positis verbis exprimitur. Plurimi *Pacem per Pactum*, vel *conventionem publicam*, tanquam per *Genus*, definiunt. Verum angustius hoc *Genus* est, quam ut omnes includere species possit: siquidem illam dumtaxat concernit *Pacem*, quæ effectus s. finis Belli est. Quod a. non omnis Pax effectus Belli



fit, inde probatur, quia falsum omninò est, quod cum Rerum-  
publ. primordiis actu statim adfuerit Bellum. Illud igitur tem-  
poris spacium, quod ante bellum transegerunt quietè Populi,  
non alio, quàm Pacis nominandum nomine veniet. Illam verò  
Pacem ex quonam pacto publicæve conventionem habent? Et  
si aliquid bello largiendum quandoque est, neque tum tempo-  
ris omnis in universum pax ex tali suboritur conventionem pa-  
ctoque, quum hostes debellentur non semel penitus, eorumq;  
liberè, regniq;ve successores occidantur, eaque ratione provin-  
ciæ cuidam sine pactis pax restituatur profana. Exempla elo-  
quuntur passim scriptores quàm sacri, quàm prophani.

§. 9. Multæ præterea dantur gentes amicæ, quæ in amicorù fines  
eunt commorantur in urbibus, ac ibidè negotiantur, quæ cuncta  
tamen non præstant invicem sibi ex fœdere aliquo, aut singula-  
ri pacto, sed communi saltem Gentium jure. Hinc *Ilioneus*  
*apud Virg. l. 1. Æn.* de Pœnorum ferocitate apud Didonem con-  
queritur, quod contra commune Gentium jus non solum à lit-  
toribus, quæ tamen omnibus communia advenis sunt, prohibe-  
ant Trojanos, sed infestis præterea armis petant; quàm de re Deo-  
rum quoque immortalium fidem obtestatur. Sic Inducias in-  
ter Thebanos & Lacedæmonios tacito quasi consensu (i. e.  
sine pacto, mutuò velut consensu, explicante *B. Berneggero*)  
factas *Justinus* memorat *l. 6. c. 7.* Ex quibus inferimus, conven-  
tionem vel pactum publicum respectu Pacis rationem Generis  
habere non posse, quum ita per se non sit in specie, ut salvâ eâ  
abesse non possit, quod tamen ad verum ac legitimum Genus  
omninò requiritur.

§. 10. Porro, pactum ad Pacem se habet, ut causa con-  
stituens l. instrumentalis: quo pacto igitur Pax cum causâ, per  
quam constituitur, idem erit, ac ita defini per pactum valebit?  
Sicuti propterea minus rectè matrimonium per contractum de-  
finiretur, quia mediante contractu constituitur; parilem quoque  
rationem in hac Pacis Definitione habet. Crediderim ego,  
imposuisse illis, per pactum qui definiunt Pacem, Homo-  
nymiam ejus. Non rarò enim pro ipsâ pacificatione accipitur  
Pax, ad quam semper ac necessariò requiritur pactio. Sed di-  
stin-



stringendus est actus pacificationis ab ipsâ Pace, si simplicem  
ejus naturam considerare rectè, ac sine offensione progredi vo-  
lumus.

§. II. Cum] ergò quædam Pax prior Bello & absq; pacto  
sit, quædam v. effectus Belli & cum pacto, tale quærendum Ge-  
nus est, quod utriqve æqualiter competit. Nos Genus Pacis  
superius fecimus *Statum*, accipiendo hanc vocem pro conditi-  
one hominum, in quâ vivunt. Sic v. g. dico Status Oeconomicus,  
Politicus &c. Monarchicus item, Oligarch. &c. Similiter *Grotius*  
de *Jure B. & P. l. i. c. 1. n. 2.* Bellum per Statum certantium per vim  
definit. Veritatem assertionis nostræ inde probamus: quia  
*Statui* omnia veri Generis requisita conveniunt, quorum (1) est,  
communicare totam suam naturam ac essentiam speciebus.  
Quemadmodum igitur de Statu dicere possum, esse conditionē,  
in quâ vivunt homines; ita etiam de Pace dicere possum, esse  
conditionem &c [2] Latius esse suâ specie: quod requisitū iterū  
Generi nostro quam optimè convenit; siquidem non solum de  
Pace, sed etiâ de Bello prædicari potest Status (3) ejusdem Præ-  
dicamenti esse cum specie. Jam autem & Genus & speciem no-  
stram utrumqve in Qualitatis Categoriâ esse, quis inficias ibit?  
Convenit insuper, toti ex æquo speciei hoc genus, sive n. sine pa-  
cto pax sit, sive cum pacto, s. religiosa s. politica, utraqve Status  
nomine venit.

§. 12. Quoniam v. latè admodum patet hoc Genus, *Con-*  
*ceptus* aliquis *contrahens* erit addendus, quod fit, voce *quietus*,  
quâ seditionibus ac bello duellisqve contradistinguitur, in qui-  
bus omnis quies atqve tranquillitas exulat. Et cum consen-  
sus de Pacis essentiâ fit, nec ulla unquam dari Pax sine animorum  
consensu possit, hinc definimus eam Statum quietum *consenti-*  
*entium*, quo porrò vocabulo, sicut & sequentibus, Pacem ab ar-  
militiis atqve induciis distingvimus, utpote in quibus non ge-  
ritur magis, quam sublatum est bellum. Nec enim plenarius  
hostium consensus adest, sed manent mutua odia, quamvis ad tē-  
pus seponantur; nec omnis hostilis actio cessat, siquidem non  
semper ac ubiqve locorum liber itus ac reditus annonæq; pro-  
curatio est. Manet in induciis bellum, tametsi pugna cesserit,  
nec



nec desinit penitus, sed ad certum tempus protrahitur hostilitas. Galli sane pereleganter naturam induciarum exprimunt, nuncupantes illas Suspension d' armes, sentientes optimè, quod initis illis suspendantur potius arma, quàm abjiciantur, resumenda nō. ab integro, exacto illarum tempore. Non confundenda etiam cum foedere Pax, quāvis hæc duo conjungantur non rarò. Præterea n. quod toto ab invicem Genere distent, Pax in simplicibus juris Gentium terminis, ne alter offendat alterum, subsistit. Fœdera verò se extendunt ulterius, eaqve sibi præstare confœderati coguntur, quæ jure Gentium sine pactione præstare necessum non erat.

§. 12. Pergimus nunc ad enucleandas causas Pacis, quæ vel interna, vel externa. Externa sunt 1. Efficiens, quæ iterum 1. principalis, tumque primaria, & solus Deus est, utpote autor ac largitor tam excellentis boni, sicuti expressè vocatur DEUS Pacis & non dissensionis 1. Cor. 7. & 14. tum secundaria, & est S. Potestas. est n. penes illum Pacem faciendi jus, cui gerendi Belli potestas competit. vel minus principalis, eaqve tum Instrumentalis, pactiones nō., amici Legatorum congressus, Mediatorum intercessionis, Induciæ &c. tum Occasionalis s. impulsiva, & quidem ex parte Victi Necessitas, cum ita propter acceptas clades fractæ vires sunt, ut reparatio earum sit minimè speranda; ex parte Victoris Gloriæ cupido; hinc Liv. l. 30. c. 30. In bonis tuis rebus, hostium dubiis, tibi ampla ac speciosa danti Pax est. Ut & Metus vicissitudinis rerum, hinc iterum Liv. l. c. Melior, turiorque est certa Pax, quam sperata Victoria. Illa in tuâ, hæc in Deorum manu est: ab utraqve parte Utilitas est, Nam

Si æterna semper odia mortales gerant

Nihil relinquent bella &c. Sen. Herc. Fur. Accedunt Affinitates, quæ inter dissidentes miscentur, validissimum sane curandorum bellorum remedium. Sic Alex. M. cum Roxane, Cohortanis Satrapæ filiâ matrimonij jure jungebatur, ad itabiliendum Regnum pertinere dictitans, Perlas & Macedonas connubio jungi: hoc uno modo & pudorem victis & superbiam Victoribus detrahi posse. Curt. l. 8. c. 4. Sic æterna penè inter-

§. 13.





Hispanos ac Gallos odia adfinitate Regum sublata nuperrimè  
sunt 2. *Finis primarius* Pacis est Reip. & Ecclesiæ salus & incre-  
mentum, *secundarius* proprium cuiusqve commodum.

§. 14. *Interna cause* sunt *Materia & Forma*. Sed cum ex  
accidentium numero Pax sit, *materiam proprie dictam* non habet.  
Loco tamen ejus adsignatur ei *Materia in quâ s. Subjectum*, quod  
est Resp. s. viventes in Rep. tum Imperantes, tum obedientes. U-  
trique n. divinis almæ Pacis commodis fruuntur: & *Objectum s.*  
*Materia circa quam*, quæ in Definitione nostrâ negativis expri-  
mitur voculis, aliàs sunt actûs in Pace concurrentes. *Forma*  
*Pacis* consistit in quiete publicâ ab actûionibus hostilibus.

§. 15. Dividitur Pax 1. *ratione Subjectorum in internam &*  
*externam*: Interna est, quam civili antea se bello laceffans Resp.  
init. Externa est, quæ cum exterâ aliquâ Rep. sancitur. 2.  
*ratione originis in antecedentem bellum & consequentem*, quam aliàs  
effectum vel finem belli faciunt. 3. *ratione temporis in temporariâ,*  
quæ ad certum tantummodo tempus se extendit, & *perpetuam,*  
quæ nullo definita tempore est. 4. *ratione latitudinis, in universali*  
*publicâ*, qualis v.g. in Imperio nostro publica Pax, *der Landfriede*;  
& *particularem vel privatam*, qualis inter Principes ac Status  
Imperii, disjunctim spectatos, obtinetur. 5. *ratione rerum, de quibus*  
*initur, in Religiosam ac Politicam*. *Religiosa* est, quæ de Religi-  
one liberoqve ejusdem exercitio, cunctisque rebus sacris initur,  
e.g. inter Catholicos ac Protestantes Passaviensis Pax, facta A. C.  
1555. *Politica* est, quæ res tantùm politicas sub se includit.

§. 16. *Effectus Pacis* varii sunt, quorum præcipuos addu-  
xisse sufficiat. *Primarius* est simultatum sublatio ac animorum  
unio. Politicum animal homo est, naturâq; conversationem  
expetit, quam dum tollit bellum, locoqve ejus similtates ac  
odia substituit, naturæ invertere ordinem videtur; cui malo a-  
lio mederi modo non potest, nisi reductâ Pace. Hæc simul-  
tatum memoriam tollit, animosqve aureo concordia vinculo u-  
nit, ex quo demum consensu, tanquàm ex Copiæ Cornu, innum-  
mera in Remp. commoda redundant. Prodeat contentiosum  
illud fratrum par, quod electo disceptationum suarum iudice Phi-  
lippo Macedonia Rege, Thraciæ ab eo ipso exutum imperio est,

B

& fa



& fatebitur, edoctum damno suo, concordiam maximum ad  
conservanda imperia stabiliendosq; principatûs adminiculum  
esse. Nil dicam præterea de feritate atqve crudelitate, hor-  
rendis belli effectibus; quos omnes dissipat Pax, mitioribusqve  
homines ingeniis imbuit. Hinc legum ac justitiæ vigor, hinc  
lata artium literarumqve floriditas, certumque virtuti præmi-  
um est. Cumque vocentur DEI filii, qui Pacem colunt, spontè  
sequitur, æternæ illos participes gloriæ futuros, sicuti contra  
regnum DEI nunquam intrabunt contentiosi.

§. 17. *Adjuncta Pacis sunt*. 1. *Libertas*, quemadmo-  
dum Belli adjunctum captivitas est. Hinc aspernanda illa Pax,  
sub cujus nomine servitus latet. Propterea n. suscipiuntur bella,  
ut nos nostraque ab aliorum injuriâ vindicemus, aureamqve li-  
bertatem tueamur. 2. *Divitia*. Plutonem, opum præsidem, nu-  
tritum à Pace fuisse, antiquitas finxit, haud obscure subinnuës,  
civitates ac regiones per diurnam pacem opibus, hominumq;  
frequentiam maximè repleti. *Nat. Com. l. 2. Myth. 9.* Quilibet  
n. operi suo intentus est, quando in Pace tegitur.

Pace bidens vomerqve vigent: at tristia duri

Militis in tenebris occupat arma situs.

Testantur hoc quamplurimæ Resp. quorum res parvæ primò,  
brevis in immensum crevere, ubi cessatum ab armis est, de qui-  
bus Historici. 3. *Otium*, quo tamen ita uti debemus, ut semper  
in eo negotiosi videamur, sicuti Vellejanus Piso ille quo nemo  
aut validius otium dilexit, aut facilius inffecit negotio. *Vell. l.*  
*2. c. 98.*

§. 18. *Cognata Pacis sunt Inducia, Fœdera &c.* de quibus  
cum jam superius, quantum ad institutum nostrum, egerimus, i-  
deo crambem apponere biscoctam veremur. *Opposita Pacis*  
*sunt* 1. *Bellum*, quod est dissidium armatum duorum contrario-  
rum exercituum. 2. *Ruptio Pacis*, de quâ inferius forsitan latior  
paulò differendi locus erit.

## CAPUT II.

### DE PACIFICATONE.

§. 1. Explicatâ naturâ Pacis & quæ ad eam spectant,  
haud abs re erit de *Pacificatione ipsâ*, quæque in eâ notanda ve-  
niunt,



niunt, pauca subnectere. Voco autem *Pacificationem ipsum actum, in quo de Pace utrinque convenitur.* Igitur cum bel-  
lantium animi ad Pacem inclinant, ante omnia exorandum Nu-  
men est, ut negotium illud felici beare successu velit, contrahen-  
tibusque talia inspirare consilia, cogitationesque, quæ ad sui  
Nominis gloriã, Rerum publicarumque incrementum unice vergat.  
Sic Gentiles quoque auspiciati hunc actum à precibus sunt, an-  
tea scilicet Deorum exposcentes pacem, quàm de mortalium  
pace agerent. Ita etiam cum Monasterij Pacis negotium ante  
aliquot annos susciperetur, in omnibus Rom. Imperii regi-  
onibus ardentibus pro reducendâ Pace precibus templa perso-  
nabant.

§. 2. Quod ubi ritè peractum erit, ipsa eò alacrius res  
aggredienda est; tentanda sc. per congressus amicaque consilia Pax.  
Melius autem est, si *per feciales & caduceatores* hæc Pacis ne-  
gotia expediantur, Romanorum exemplo, quàm si Principes i-  
psi corã cõgrediãtur. Præterea n. quod Majestati major è longin-  
quo reverentia est, mutuus hic conspectus occulta odia detegit,  
sinistrasque opiniones generat. Sessio quoque, præferentia at-  
que præcedentia, nî inter Principes ipsos, certè ministros eorum,  
nil nisi lites parturiunt. Hinc multoties observatum à Comi-  
nao, quod tales Principum conventus sinistrum semper sortiti  
eventum sint. Remanet igitur mittendos potius *Legatos* esse ad  
hocce negotium conficiendum.

§. 3. Qui autem & quales mittantur, probè perpenden-  
dum est. Mittendi igitur sunt *in clyti Genere & Virtute Viri,*  
quorum probata fides ac nota doctrina est. Et cum ad redinte-  
grandam amicitiam mittantur, cavendum sedulò est ab inqui-  
etis animis, quales ferè militares Spiritus existunt. Porrò ubi  
certi de personâ mittendi Legati sumus, dispiciendum est de  
*Mandato ac commeatu libero, ut & literis, quas vocant, Creden-*  
*tialibus.* Quia a. semper potestas plena in Legato desideratur,  
unde etiam Plenipotentiarum nomen accepit, sequitur Manda-  
tum, in quo Legatus de conficiendis ipsi rebus instruitur, uni-  
versale esse debere. Secundum hanc normam suas dirigere a-  
ctiones debet, & si fortè magni momenti occurrat res, de quâ  
nulla in mandatis factâ mentio est, satius est Principalem consu-  
lere suam ejusque voluntatem aut novum aliquod expectare  
manda-

Xen. 6. de  
Reb. Gr.

Tac. An.  
11.47.



mandatum, quàm proprio ausu eam transigere. Mutuâ sal-  
vorum conductuū traditione factâ, inviolabilis demum ac san-  
cta Legati persona censetur, ac obligare illum, ad quem mitti-  
tur. Quare non temerè alias ditiones transeant Legati, aut no-  
vas in iis moliantur res: sic n. suo excidere jure dicuntur.

§. 4. Non infrequens etiam est pacificationum negotiis *fe-  
rias belli* præmittere; quæ licet non semper universales sint,  
illum tamen præprimis locum cum viciniâ concernunt, qui ne-  
gotiationi destinatus est. Sunt nihilominus è contrario qui  
dissvadent inducias, meliusque sub clypeo Pacis succedere ne-  
gotium putant. Nunquàm n. magis decipitur hostis, quam cum  
ob injectam Pacis mentionem aut spem primum ardorem remit-  
tit; ideoq; diligenter ante inquiri in omnia oportet, quàm con-  
cedantur hæc armistitia. Nostro tempore, cum Monasterii & Of-  
nabrugi de restituendâ Pace consultabatur, convenerat simili  
modo, ne alicujus belligerantis partis exercitus ad loca illa, cir-  
cumq; ad milliarium 10. spacium accedere conaretur.

§. 5. Porrò feliciter succedere rem intercedentibus *Me-  
diatoribus* putant nonnulli, quorum officium est, ut belli cau-  
sas ab utrâq; æquare parte studeât. Necesse igitur est, ut postula-  
ta utrinq; ipsis edantur, vel omnia simul, vel per singulos articu-  
los & particulatim: quæ, ubi discussâ probè sunt, partibus dein-  
de vicissim communicantur. Ita Bellum, quod inter Svecos, Da-  
nosq; finitimosque gentes flagrabat nuperrimè, intercedentibus  
ac mediantibus Rege Galliæ, fœderatiq; Belgii Ordinibus fe-  
liciter compositum est.

§. 6. Primum omnium in Pacis transactione esse & solet &  
debet *Amnestiæ lex*. Hoc n. sidus nî bonâ affulgeat fide, non est  
quod serenitatem speret quisquam aut ominetur. Sola anteacto-  
rum abolitio vulnera, quæ medentium conatus dedignantur,  
quiete solidâ lenit, ac veluti sopore inducto facilè curat. Univer-  
salis a. esse hæc lex debet, ut omnes omninò complectatur; aliàs,  
cùm excipiuntur quædam, semper est aut fingi causa potest, ob  
quam singuli postea circumveniantur. *Buxb. disq. Pol. Casso*. Si  
tamen eximendi aliqui sunt, specialiter id fieri debet; sicuti An-  
glicana hoc tempore limitabatur Amnestia, quoad personas à  
Senatu Parlamentario eximendas. Includi etiam hæc lege debent  
exteræ gentes, quæ viribus atq; auxiliis utramque belligeran-  
tium



riū antea partem adiutârunt; sicuti hoc etiam in Pacis Westphali-  
cæ Instrumento §.1. & 2. observatum est.

§. 7. Vix a. ita jungitur Pax, ut de *restitutionibus ac satisfacti-  
onibus* sileatur, poscente belli impensas, quem ejus eventus superio-  
rem fecit, antequam in amicitiam redeatur: hinc sæpius in favorem  
Pacis interceptas restitui ditiones, ac in damnorum compensationē  
cedi provincias ac urbes, auri quoq; milliones solvi videmus: quæ  
ne parum decora videantur, nec alter tanquam belli præmium habe-  
at; Principum præsto matrimonia sunt, datumq; in dotem filia dicitur,  
quicquid relictum Victori est. De captis a. personis ita transigi so-  
let, ut firmatâ Pace vel certo persoluto lytro vel gratis restituantur,  
aut invicem permutentur: alias in servitutem hostium jure Gentium  
reducuntur.

§. 8. Cum E. conventum utrinq; de postulatis est, conventio  
illa literis & scripturæ mandatur, ubi circa vocabulorum usum ver-  
borumq; formulas, circa inscriptiones item, subscriptiones ac sigilla  
Principum, & Titulos exquisitissimâ opus curâ est: quibus neglectis  
magnę sæpe numero exoriri altercationes solent. Quò magis dan-  
da est opera, ut sine ambiguitate, dilucidè, expressisq; verbis cõcipiã-  
tur instrumēta Pacis, ne aliqua controvertendi deinceps occasio præ-  
beat, sinceraq; non captiosa, Pax sit. Quæ cum omnia observata,  
diligenter fuerint, *signantur demū & subscribuntur* Instrumenta. Hæc  
n. requiri ad validitatem ipsorum, omnis memoria testatur.

§. 9. Hinc ad exterminandam penitus omnem sinistram opi-  
nionem *juramenti* quandoq; *religione* se obstringunt Pacificantes, si-  
cuti de Lacedæmoniis ac Atheniensibus apud *Xenoph. l. 6. de Reb. Gr.*  
& alibi legere est. Nî tamen hoc fiat, Imperiali ac Regiâ fide, bey *Sür-  
stlicher treue und glauben* promittere solēt, pactum ratum fore, serva-  
tumq; iri. Hoc n. bonorum Virorum est, ut eorum integritas dignior  
fide, quam jusjurandum videatur. Cœterum addi pactioibus etiam,  
ut majorem habeant firmitatem, *obsides* solent, illustres np. Personæ,  
Reip. proceres, ipsi etiam Regum liberi; quorum hæc olim conditio  
fuit, ut si ipsi, datoresve eorum fefellerint fidem, occidere eos per-  
missum fuerit, veluti tarentinorum Obsidibus Volscorumq; factum à  
Romanis est. *Liv. l. 35. Dion. Hal. l. 6.* qui rigor nostro tēpore expiravit.

§. 10. Ultimò tandem, cum omnia corroborata sunt, accedit  
*publicatio Pacis*, quæ apud exercitus fieri solet per tympanorum tuba-  
rumq; sonitum, tormentorumq; bellicorum displosionem. Ceteris in-  
colis in templis aut curiâ per campanarum clangorem publicamve à



cathedrâ denūciationem manifestatur. Publicis etiam exscribi typis solent Pacis articuli, ac nulpiam non vendi, ut omnibus de restitutâ Pace constet. Tantum de Pacificatione.

### Cap. III. De Requisitis Pacis.

§. 1. Ex dictis hactenus de essentiâ Pacis, ejusq; acqvirendæ mediis atq; conditionibus ulterius sponte suâ fuit, qualis esse Pax debeat. Tantum n. abest, ut quælibet de Pace transactio tam delectabile mereatur nomen, ut quidvis dicenda potius, quàm Pax sit.

§. 2. Requiritur igitur ad Pacem I. *Honestas*. *Honestas* a. Pax illa est, quæ tolerabilibus conditionibus Bellum finit. Æquum proinde ac facilem se præbeat Victor, clementiâq; ac lenitate temperet Pacem. Intolerabilis n. ac misera Pax, quæ servitutis pactio nominanda potius vel bello bene mutatur. *Tac. An. 3. 44.* imò cum dignitate moriendum potius, quàm cum ignominiâ serviendum, Principibus præsertim, quibus grave est de regno in servitutem cadere. *Sen. in Theb.* Gloriosum non solum est, sed utile etiam ac tutum benignam Pacem dare. Hinc captiva Darii Mater ad Alex: Tua interest, quantum in nos licuerit, si potius clementiâ, quam servitiâ vis esse testatum. *Curt. 3. 12.* Et sanè verisimile non est, ullum populum aut hominem deniq; in eâ conditione, cujus eum poeniteat, diutius, quàm necesse est, mansurum. *Liv. 8. 21.* Melius est amicos, quàm servos, quærere, & tutius volentibus, quàm coactis, imperare. Audiendus Privernatium Legatus, qui interrogatus in Rom. Senatu, qualem à Romanis Pacem exspectaret? si bonam dederitis, reposuit, & fidam & perpetuam. Si malâ, haud diuturnam. *Liv. 8. 21.* Laudatur in hoc Alex. M. qui in Persico bello & alibi multos in fidem Regulos accepit, qui multis exemplo fuerit deinceps experiendi clementiam Regis. *Curt. 6. 4.* Sic Tyrus facilius societatem Alex. quàm imperium acceptura videbatur. *id. 4. 2.* Peccavit propterea Alex. dum æquissimas Darii condiciones sprevit, nec prius deponere arma voluit, quàm si illum, qui supra eum se extulerat, infra se atque provolutum ad pedes videret. *Curt. 4. 11.* quod v. intolerabile planè Majestati Darii erat.

§. 3. II. *Tempestivitas*. Unum tempus est de Pace agendi, dum sibi uterq; confidit, & ambo pares videntur. *Cas. 3. 10.* de B. C. Nec expectandum est, donec crudelis Mars calamitosum invicem discrimē fecit: tunc n. non petitur animo servandi. Æquioribus conditionibus sub clypeo coit Pax, & cum nondum inter se periculum virium fecere dissentientes. Metuenda etiâ ac meditanda fortunæ inco-  
stia  
(st)



est, quæ, quamvis primo intuitu arriserit blande, tutissimum tamen nihil sibi de ejus fide promittere. *Sen. de tranq. animi.* Quare honesta ac certa Pax omnibus modis præferenda speratæ victoriæ est. *Liv. 30, 30.* Verissimè ad Scipionem Hannibal: si prætermittis hoc tempus, quo dare magis, quàm accipere Pacem potes, vereor ne hæc lætitiæ luxuriet tibi ac vana evadat. *Liv. 23, 12.* Danda igitur in tempore Pax, nec victi ad desperationem adigendi. Plus n. impetûs apud miseros est. *Tac. Agr. c. 5.* Et fractis rebus violentior ultima virtus. *Sil. It.* Nec adeò miseros semper destituit fortuna, ut nunquam illis secundos adspirare successus soleat; quin sæpissimè illis belli quoq; artes docet. *Curt. 7, 7.*

§. 4. III. *Simplicitas.* Candida Pax est, quæ nihil fuci, nihil fraudis, nihilque insidiarum habet. Hæc expetenda omnibus, huic consulendum semper est. Maxima v. adhibenda cautio est, ut talem acquiramus Pacem, qualem speramus, si præsertim nobis cum sublestæ fidei hominibus res sit. Facile n. eorum circumveniri fraudulentiam possumus, ut Pacis nomine involutū bellū accipiamus. Sic capti & siq; fraude Philippi Phocenses fuere, quibus antea belli salutisque pollicitus veniam erat. *Just. 8, 4. & 5.* Laudem è contrario meretur perfidi hujus parentis candidus filius Alex. M. qui potius citò negat se Dario pacem daturum, quam ut ambiguo responso aut incertâ expectatione pacis diu eum suspensum teneat. Hinc redit ad eum Legati Darii: Cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe Pacis non frustraretur. *Curt. 4, 11.* Hinc optima ceteretur celeriter inita Pax. Insidiosa n. plerunq; sunt prolixa illa temporis spacia, quæ ad deliberandum postulantur.

#### CAP. IV. De Ruptione Pacis.

§. 1. Romanorum, Pacem ineuntium, hæc formula erat: *Pax sit, dum cælum & terra durat.* Quæ verba, si suum semper sortita effectum fuissent, non sanè tot ac tantæ de diritate temporum nostrorum querimoniæ audirentur. Adeò Pacis hujus sublatus usus est, ut nomen vix etiã supersit, ac unusquisque mortalium ætatem suam æternitatis definire termino valeat. Naturalis, pro dolor, hominum ad dissentendum facilitas est, quæ eò non rarò prorumpit dementiæ, ut sacra quoq; ac venerabilia Concordiæ vincula dissolvere non erubescat. Quare de Ruptione Pacis differere nunc operæ pretium erit, cum de contrario ejus, Pacis nimirum sanctione, actum supra sit.

§. 2. Vi.



§. 2. Violatur Pax I. *Falsâ metus præensione.* Opponere Scil. violandæ Pacis causam fallendi cupidi solent, quod vi ac metu facta Pax ac imbecilliori parti extorta sit. Verùm præterea, quod Viro forti nulla potest adhiberi vis, quis nescit, Pacis condiciones semper ferè invitis dari & à Victoribus vi ac metu accipi? Si E. ex metu rescindenda pacta essent, quæ firma aut perpetua Pax esset speranda? Malè igitur Franciscus I. Galliæ Rex Galliç; promissam Carolo V. pacem, ut in carcere factam, putabant rescindendam, de quo Bod. 5. de Rep. c. 6.

§. 3. II. *Callidâ conventionum interpretatione.* Nunquàm non quidem admitta fuit conveniens pactis interpretatio. Verum sub hoc prætextu multi subvertere Pacem conati sunt, nihil verecundantes levissima etiam & per se manifesta in dubium vocare, perversumque illis sensum affingere. Consulitur a. optimè huic rei, si ab utraq; parte certi conventionum Executores constituantur, inculpatæ n. fidei Principes, penes quos interpretandi officium sit. Si E. aliquid incidit dubium, deferendum ad illos est, ac in eorum sententiâ acquiescendum. Sic periculosos contentionum scopulos evitare quàm optimè possumus. Ipsa v. interpretatio ita instituat, ut partes quoad belli justitiam maximè æquet; hinc quod plus favoris habet, eò laxius interpretandū est: quod longius abit, eò restrictius.

§. 4. Reipsa rumpitur Pax, secundum Grot. de Jur. Bell. & Pac. triplici modo. 1. quando pars una facit contra id, quod omni Paci inest. e. g. si citra probabilem ac novam belli causam alteri parti injuria infertur. 2. quando expressæ Pacis condiciones violantur, vel delinquendo contra id, quod in Pace dictum est; vel omittendo illud, quod fieri oportebat. Dist. tamen hic inter majoris ac minoris momenti delicta. Æquum n. non est propter minutias maximi moliminis negotia irrita reddi. Hinc majoris cautionis gratiâ adjici solet articulis: si adversus hæc actum, Pax tamen quod cætera utilis firmaque maneat. 3. quando contravenitur ei, quod ex Pacis cujusque naturâ intelligi debet. v. g. si aperte quid fiat in S. Potestatis contumeliam, utilitas alterius partis impediatur, atroces minæ contra amicitiam jactentur, nova fortalitia nocendi animo exstruantur, exercitus novi conscribantur &c. In quibus omnibus quomodo se gerere debeat altera pars, hic non est definiendi locus.

TANTUM!





94 A 7380

ULB Halle 3  
004 073 428



Jun 1899  
VD 17

57






HOE  
DIS

Dissert  
Wittels  
Zur







30 Porley.

I. N. 7.  
DISSERTATIONEM POLITICAM

De  
**P A C E**

Annunte Numine  
*Suffragantibusque Superioribus,*  
Sub Moderamine

*PRÆCLARISSIMI VIRI*  
**DN.M.SIMONIS FRIDERICI FRENZELII,**

Cotbusiensis Lufati, Fautoris sui plurimum  
venerandi,

*Publico Eruditorum examini offert*  
RESPONDENS

**CHRISTIANUS RÖHRENSEE**

Ehrenbergensis Misnicus,  
Autor.

Habeb. ad diem 12. Octobris  
Horis Locoque solitis.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis Johannis Haken, M. DC. LXL

102

Manf

